



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

L. Regi Armeniorum illustri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

lis de cetero apostolicæ sedi esse alligatos non dubitetis. Ea propter, si placet sanctitati vestrae, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus nec debemus alligari. Hinc est quod sanctitatem vestram suppliciter flagitamus quatenus nobis literas apertas mittere dignemini ut non teneamur, neque Latini de terra nostra, de qualibet conditione, excepta sancta Romana Ecclesia, cuilibet Ecclesiæ Latinæ, & quod non habeat potestatem nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi vel sententiam in regno nostro proferendi super Latinos quilibet Ecclesia, excepta, ut dictum est, sede apostolica. Præsentium denique latorem dilectum & fidelem nostrum militem nomine Garnerium Teutonem ad pedes sanctitatis vestrae dirigimus, cui super his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tanquam nobis ipsis crede non dubitetis. Datum Sisi primo die mensis Octobris.

Z. Regi Armeniorum illuſtri.

*Epiſt. 43.
Quod Rex &
regnum Arme-
niae excommu-
nicari aut in-
terdicti non
possint nisi de
speciali man-
dato Pape.*

Regiae serenitatis devotio promeretur & sinceritas tuae caritatis exposcit ut non solum tibi, sed etiam toti regno tuo speciale gratiam faciamus, & ob tuae devotionis meritum totam Armenianam Ecclesiam honoremus. Tu enim præ ceteris prædecessoribus tuis, quorum extat memoria, specialius in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione perfisti, & apostolicæ sedis primatum & magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter & devotè recurris, propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Acceptimus autem ex literis quas regia nobis serenitas tua destinavit quod cum regnum Armeniae obligatum sedi apostolicæ obedientiæ vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiæ Latinorum. Vnde petebas tibi per literas apostolicas indulgeri ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in te vel regnum tuum vel homines Regni, sive Latinos, sive alios cuiuscunque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuae serenitati deferre & cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium districti inhibemus ne quis in te vel regnum tuum aut homines regni tui, cuiuscunque conditionis existant, qui mediantibus tamen ejusdem reg-

ni Prælati sedi apostolicæ sint subjecti, præter Romanum Pontificem aut ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtiōnem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo &c. inhibitionis &c. Datum Laterani Kal. Iunij.

Litera Catholici Armeniorum ad D. Papam.

Post Deum, qui est caput omnium bonorum, apostolicam sedem tenenti, & summo capiti totius Ecclesiæ, & totius terrena sedis magno Christi confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi & religionis, & successori beati Petri majoris nati post Christi principis & patris totius mundi, sedenti secus Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ summæ sedis Romanæ urbis quæ imperiali triumpho universum mundum suo subjugavit dominio, & nostro in Christo patri spirituali, tantæ civitatis gloria sublimato, Gregorius minimus Episcopus Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & servus fidelium Christi, omnesque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Sacerdotes, & Clerici sub nostro regimine viventes, orationes in Domino assiduas.

*Quia supra sedem dilecti discipuli Christi sedetis, universæque dominamini Europæ, eò amplius vos de jure venerari debemus, & quia pater estis totius fidei Christianitatis, mandatum vestrum cum amore receperimus, & posuimus super oculos & faciem nostram, & referimus laudes Creatori totius mundi, & benedicimus Deum patrem nostrum, qui dignatus est in nos tantum amorem habere ut ipse amor nostre fieret, & voluit baptizari, ut exemplo sui omnes baptizarentur & fratres in ipso fieremus. Nam dicente eo per os Iohannis evangelistæ, *Vos mei discipuli eritis, si alter alterum dilexeritis*, hoc summe pater in vobis est, quia Deus pater principium & caput fuit novem ordinum, quod ostendit vobis per filium suum; & mandatistis salutem in eo, & per ipsum nobis, qui longius & prope vos sumus. Visu oculorum remoti sumus à vobis, sed lege & caritate unum quasi sumus, quia baptismus nos omnes unum fecit per regenerationem, & sumus oves unius pastoris, qui est gratia claritas, & maiestas Dei patris omnipotentis, & omnes nos coadunavit in unum ovile, scilicet Ecclesiam Dei vivi, & didicimus quod curia Christi, curia est sanctitatis, & sumus obumbrati sub umbraculo cuius-*

*Epiſt. 44.
De primatu
Pape, & de
persecutionis
bus Ecclesiæ
Armenicæ.
Raynaldus ad
an. 1202. §.
41.*